

mihi eius nomine fecerat, ut dictum habeo, et ut eum domnum Adelardinum in tenutam mitteret nomine imperatoris et ducis de eo predicto feudo, ut dictum est. Et hoc fuit in uno die Martis ante pentecosten unius anni antea quam hec civitas Veronensis combureretur¹. Et ibi erat domnus Garzapanus et ille Martinus Longus et quidam Enricus, qui manet Este cum marchione, et Albertinus filius predicti Garzapanis² et plures alii.

Postea die predicto Veneris sub domo filiorum quondam domni Adelardini, in presencia Aldregeti de Valegio, Vallariani de Castello, Petri de Nogarolis, Liazarii de Botone, Albregeti Mutii et aliorum plurium, ad hoc rogatorum testium. Ibiq̃ue coram predicto comite predictus domnus Tomasinus, Isnardinus et Albregetus fratres protulerunt hos testes, videlicet Malamnoctem de Bardulino et Walterium Dacen ad cognoscendam veritatem de predicta causa et ad probandum, qualiter et quomodo sciunt comites, qui olim tenuerunt arcem Garde, tenebant et habebant Gebetum et districtum eius et iurisdictionem² et dabant illi de Gebeto fodrum et coltam et deferrebantur ad arcem Garde. Primus quidem Malanox, iuratus et ex parte Thomasini ad litem illam, quam cum vavasoribus et cum aliis tunc habebat, productus, interrogatus a me Philipo notario per loquelam comitis, qui me suum nuncium fecit ad eum et omnes alios iferius² scriptos interrogandum et mihi, ut eum et alios audirem et interrogarem, precepit, testatus dixit:

Ego recorder, quod iam sunt plus XL annorum, quod utebar in arcem² Garde, et eram scutifer comitis Bellonchi, qui erat comes illius arcis et tenebat illam arcem et totum eius comitatum per ducem Enricum Saxonie³. Contingit, quod frater illius domni Bellonchi interfecit quendam trewanum huius civitatis Winigellum nomine, ut patens et verum fuit et fama; et sic ille Belloncus fuit separatus ab illo comitatu et ablatus inde. Et postea in loco eius misus² fuit domnus Enricus de Bur⁴ pro comite illius arcis, et eum vidi. Et ego tunc manebam cum quodam meo

1) Verona brannte am 7. Juli 1172. 2) Sic! 3) Gemeint ist natürlich Heinrich der Stolze, Herzog von Baiern, dem nach Hist. Welf. Weing. c. 23 MG. SS. XXI, 466 Kaiser Lothar im Jahre 1136 die Burg zu Lehen gab. Wie schon der Titel *dux Saxonie* zeigt, wird er von seinem Sohne nicht unterschieden. Vgl. S. 579, Anm. 3. 4) Vgl. über ihn S. 592, Anm. 6.